


R. P. D.
BEAUFORT
DE CANILLIAC
Vilnen. Quartæ Funeralis.

Veneris 6. Iunij 1749.

1 PRÆMOTA per Parochum Nouogrodensem instantia super solutione Quartæ Funeralis sibi facienda à Patribus Prædicatoribus eiusdem Loci quoties in ipsorum Ecclesia Cadauera Parochianorum tumulari contigisset, singulos excitauit Parochos, & Regulares totius Diœcesis, qui Causam hanc communem esse rati, vt sua ipsorum intererat partim præfato Parocho, & partim Conuentui Prædicatorum

adhæſerunt. Sed quamuis in Iudicio primùm introducto coram Officiali Vilnen. res ceſſerit iuxta vota Parochorum, contrarium tamen poſtea cenſuit A. C., à cuius Sententia nec difforme fuit Dominorum iudicium, qui in gradu appellationis per Me rogati = *An Quarta Funeralis debeatur in caſu &c.* = reſponderunt = *Negatiuè*.

2 Et iure quidem ac meritò, quia nec ex cenſura *Clementinæ Dudum de Sepultur.*, nec ex ordinatione Tridentinæ Synodi relata in *cap. 13. ſeſſ. 25. de reform.* vlla Regulares Vilnen. Diœceſis obligatione adſtringuntur, cuius ope ad præſtationem Quartæ Funerariæ à Parochis compelli poſſint. Idque ad liquidum euincunt ampliſſima Priuilegia, quibus dd. Regulares à Summis Pontificibus donati fuerunt, & quorum præſidio nemini dubium eſſe poteſt, quin ipſi immunes euaſerint à ſolutione Quartæ in *laudata Clementina* præſcriptæ, hoc ipſo quod Priuilegia huiuſmodi, vel præmunita dignoſcuntur explicita clauſula *eiuſdem Clementinæ* derogatoria, vel derogatio per æquipollens continetur ſub alijs generalibus, & ampliſſimis Formulis. Quumque ex parte Parochorum non doceatur, quod iidem Regulares per 40. annos ante Concilium Tridentinum Quartam ſoluere conſueuerint, quodque intra hoc tempus Priuilegia exemptiua illis ſuperuenerint, nec vlla ſubeſt ratio, per quam affirmari poſſit, talia Priuilegia abrogata fuiſſe per dictum Concilium, vtpote quod limitate loquitur de Priuilegijs, quæ conceſſa fuerunt à 40. annis citrà ante illius publicationem, quæque exemptionem continent à ſolutione Quartæ præſtari conſueta à 40. annis antè dictam publicationem, quemadmodum explicatiuè tradunt *Barboſ. ad idem Concil. ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 13. *num.* 5., *Tondut. quæſt. Canon. tom. primo cap.* 88. *num.* 2., *Laur. variar. lucubrat. tom. primo tit.* 2. *cap.* 3. *num.* 183., *Antonell. de Regim. Eccleſ. lib. primo cap.* 13. *ſub num.* 9., *& Rot. poſt Dian. in Oper. Moral. coordinat. tom.* 8. *deciſ.* 26. *num. primo & ſequen.*

3 Quæ ſanè omnia adeò firma, compertaque erant, vt nec illa in quæſtionem adducere auſi fuerint Parochi, qui imò eorum intentionis fundamentum vnicè conſtituebant in Epiſtola Paſtorali edita anno 1608. à clar. mem. Card. MaczieovvsKi Archiepiſcopo Gneſnen., ac inſerta Synodo Prouinciali celebrata anno 1628., qua cum cautum fuerit, quòd = *Quart. Funeralium iuxta Sacros Canones, & Conſtitutiones Synodi ſalua, & integra maneat Parochiali Defuncti Eccleſiæ vbicumque is tandem extra illam, electione etiam ſua, ſepeliatur* = Hinc inferebant dd. Parochi, quod Regulares adſtricti remanſerunt ad ſolutionem Quartæ, non obſtantibus Priuilegijs eorum fauore militantibus.

4 Verùm difficultas facili negocio concidebat, ponderando, quòd oppoſita Epiſtola nec Regularibus excripta eſt, nec de iis nomina-

minatim loquitur, vnde verius est dicere, quod eius dispositio ad illos non perducatur. Minimè attenta generalitate verborum = *vbicumque is tandem sepeliatur* = sub quibus etiam Regularium Ecclesiæ comprehensæ videri possint. Quia cum talia verba commodè intelligi possint de omnibus alijs Ecclesijs Sæcularibus, quæ nulla gaudent effusissima exemptione, vt sine ampliori controuersia Quartam Parocho Defuncti pendant, hæc porrò interpretatio aptior visa est, & omninò sectanda, cum nouum non sit, quod huiusmodi dictiones, licèt vniuersales, restringantur tamen secundùm subiectam materiam, vel secundùm mentem disponentis ad locum, vbi materia, de qua agitur, procedere potest, ad notata per *Geminian. cons. 92. n. 2.*, *Barbos. dict. 413. sub n. 1.*, *& Rot. in rec. dec. 359. n. 8. par. 14.*

5 Maximè ea accedente peculiari circumstantia, quòd vbi Constitutiones Synodales comprehendere voluerunt Regulares in hac materia Quartæ Funeralis, de illis expressam fecerunt mentionem, prout eruitur ex Constitutione Synodali Cracouien. anni 1711., & ex alia Diœcesis Vilnen. anni 1713. quamuis Constitutiones huiusmodi, vtpotè nulliter editæ, & à Sede Apostolica non confirmatæ, nunquam in hac parte obseruatæ fuerunt: Quocirca cum in Epistola Pastorali Cardinalis MaczieovvsKi, & in Synodo Prouinciali Gnesnen. nulla de Regularibus in hoc proposito Quartæ Funeralis habita fuerit mentio, id quidem argumento est, eos non fuisse in illis comprehensos, ad *vulgat. Text. in leg. fin. §. Sin autem Cod. de caduc. tollen.*

6 Certiùs autem quia laudatus Cardinalis in sua Epistola nihil noui ex se censuit præcipere, sed arctius optauit implementum Sacrorum Canonum; Quare nihil egit, vt exemptionum priuilegijs derogatum censeatur, si ne generale quidem Tridentinum Concilium existimauit omnia, & quæcumque priuilegia abrogare, sed recentia dumtaxat per 40. annos ante concessa, & hoc amplius cum restrictione ad illos Regulares, qui intra metam 40. annorum consueuissent Quartam persoluere, vt latiùs supra obseruatum fuit. Ne itaque plus voluisse videatur Cardinalis, quàm Concilium Tridentinum præscripserit, concludendum omninò est, quod per illa verba = *iuxta Sacros Canones* = illæsa præseruauerit tùm decreta eiusdem Concilij, tùm etiam priuilegia per Summos Pontifices Regularibus concessa, quando signanter nulla est difficultas quin hæc omnia complecti possint sub verbo *Canon.*, in latiori præsertim significatu sumpto, ad *Text. in Can. Habeo distinct. 16. & in Can. Nicena Synodus distinct. 31.*, *Abbas in cap. Canonum Statuta de Constit.*, ibique *Felin. num. 1.*, *& Fagnan. num. 30.*, *& seqq.*, *Anaclet. in Ius Canon. lib. primo tit. 2. §. primo num. 7.*, *& seq.*, *& Lauren. in eodem lib. primo quæst. 34. num. 2.*

 7 Audi-

7 Audiri nec meruit, quod *Canonum* appellatione communiter intelligantur Constitutiones clausæ in corpore iuris, non etiam Decreta Sacri Concilij Tridentini, aut Pontificiæ Constitutiones extra Corpus Iuris vagantes. Quidquid enim sit de hac opinione, quam confutant *Barbos. clauf.52. n.4.*, *& Tambur. de iur. Abbat. tom.1. disput.18. quæst.6. num. 2.*, *& sequen.* Præualuit in præsenti animaduersio, quòd cum verba illa *iuxta Sacros Canones* non fuerint prolata à Summo Pontifice, sed ab inferiore, eorum iusta intelligentia haurienda proculdubio est à potestate illius, qui verba protulit, secundùm quam voluntas disponentis metiri debet, ad *Text. in cap. Cum in generali de Offic. Vicar. in 6.*, *& in leg. Lucius* §.21. *ff. ad Municipal.*, *Rot. in rec. dec.273. num. 16.*, *& seq' part. 12. coram Dunozzet. iun. decis.678. num.21.*, *& coram Lancett. decis.1377. num.6.*; Eaque propter dum solutio Quartæ facienda *iuxta Sacros Canones* iniungitur in Epistola Pastorali Cardinalis Archiepiscopi, & in Synodo Gnesnen., vtique præseruatæ dici debent non solùm Constitutiones clausæ in corpore Iuris, sed etiam Decreta Sacri Concilij Tridentini, & Constitutiones, ac Priuilegia Summorum Pontificum; Quippe quia nec Cardinalis Archiepiscopus, nec Synodus Prouincialis potestatem habent ijs derogandi, *cap. Innotuit de elect. & in extrauagant. Sancta Romana* §. *Quidam autem de Relig. Domib.*, & ibi *Glossa verb. Concilii*, *Gratian. discept. for. cap. 925. num. 4.*, *Piton. discept. Eccles. 93. num. 23. tom. 3.*, *& Rota coram Molin. decis.815. num. 10.*, & in specie, quòd dicta Synodus Gnesnen. potestatem non habuerit derogandi Priuilegijs Regularium probat *Fagnan. in cap. Quod super his num. 24. vers. Vnde Synodus de maior.*, *& obedient.*

8 Absque eo quod officere potuerit, quòd enunciata Synodus Gnesnen. edita anno 1628. confirmata fuerit à san. mem. Vrbano VIII., quodque hoc amplius in Literis Apostolicis eiusdem confirmationis cautum extiterit, vt Constitutiones Synodales ab omnibus personis Ecclesiasticis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus obseruarentur. Nam quoties ex supra firmatis caput illud Synodi Prouincialis, seu veriùs Epistola Pastoralis clar. mem. Cardinalis MaczieovvsKi, vbi agit de Quarta Funerali, non afficit Regulares, siue quia de iis non loquitur, siue quia se refert ad Sacros Canones, siue etiam quia potestas statuentis ad id non porrigebatur, profectò confirmatio Apostolica non est diuersimodè accipienda, cum ea sit confirmationis indoles, vt robur tribuat actui confirmato, at non etiam, vt eius dispositionem extendat vltra id, quod in eo continetur *Rot. in Recent. decis. 163. num. 7. part. 15. decis. 377. num. 18. part. 17. coram Molin. decis. 1015. num. 9.*, *& sequen.*, *& in Tirasonen. Iurisdictionis*, *& Præeminentiarum* 15. Ianuarij 1734. *in fin. coram clar. mem. Card. Calcagnino.*

9 Nec

9 Nec maius fundamentum constitui posse visum est in eo, quod in enunciato Breui confirmatorio mentio etiam fiat de Regularibus. Quandoquidem cum in Synodo Prouinciali, cui Confirmationis Apostolicæ munimen accessit, illa sola non adesset Sanctio respiciens solutionem Quartæ Funeralis, sed & aliæ plures existerent promiscuè afficientes, tàm Sæculares, quàm Regulares, qui in pluribus casibus subsunt Iurisdictioni, siue ordinariæ, siue delegatæ Episcoporum, ac tenentur ad obseruantiam Constitutionum Synodalium, atque Prouincialium, quos casus latè recenset *Sanctissimus Dominus Noster in suo eruditissimo Tractatu de Synodo Diæcesana lib. 7. cap. 41., & duob. seqq., & lib. 8. cap. 4. num. 5., & seqq.*, hinc mentio Regularium in Breui confirmatorio facta intelligenda est relatiuè ad huiusmodi casus, & ad ea Synodi capita, in quibus Regulares comprehenduntur, ad regulam, de qua *Fachin. controu. iur. lib. 7. cap. 64., Rota in Recent. decis.* 192. *num. 6. part.* 8. *coram Seraphin. decis.* 1023. *num.* 4., & *coram Molin. decis.* 1225. *num.* 14.; Eo vel magis quia dicta confirmatio fuit à Summo Pontifice concessa habito priùs examine, ac voto Sacræ Congregationis Concilij, quæ nunquam approbat, sed imo delere solet Decreta omnia Concilij Prouincialis quoquo modo violantia exemptiones, & Priuilegia Regularium, vt notat *Fagnan. in cap. Quod super his num.* 24. *in fin. de Maiorit.*, & *obedient.*

10 Atque hinc frustra obtrudebatur clausula generalis = *non obstantibus quibuscumque* = adiecta in fine Breuis confirmatorij. Quia cum nec in actu confirmato, nec in ipso Breui confirmatorio vlla adsit mentio Regularium in proposito Quartæ Funeralis, nec vllibi innuantur Priuilegia illos eximentia à solutione eiusdem Quartæ, nil sanè minus erat quàm vt per dictam clausulam generalem derogatum fuisse dici posset enunciatis Priuilegijs, pro quo imò effectu necesse est, vel quod concurrat derogatio expressa, vel quod lex, seu Constitutio posterior implicet contrarietatem, seu incompatibilitatem cum antecedentibus Priuilegijs, quodque huiusmodi contrarietas sit in se adeò clara, ac manifesta, vt quamlibet excludat conciliationem, quæ vbi aliquo modo possibilis detegatur, semper fieri debet ad euitandam exosam derogationem anteriorum Priuilegiorum, ad ea, quæ in specie tradunt *Passerin. in cap.* 1. *de Constit. in* 6. *num.* 120., *Pignatell. consult.* 107. *num.* 10. *tom.* 10., & *Rot. coram Molin. decis.* 676. *num.* 13., & *seq.*

11 Hactenùs dicta etsi satis perspicua per se visa fuerint, potiores adhuc assumunt vires à subsecuta conformi obseruantia, de qua testimonium perhibent Viri omni exceptione maiores, nempe Magistratus, Proceres, Ordinesque vniuersi Magni Ducatus Lithuaniæ, vno ore deponentes, quòd Regulares

nunquam Quartam Funeralem Parochis præstiterunt. Quodque magis in rem est, hanc eandem negatiuam obseruantiam comprobant ipsimet Testes in contrarium adducti, qui licèt deponant de petitionibus Parochorum, in substantia tamen conueniunt, quod Regulares dictam Quartam non persolverint. Exinde autem affirmari tutò potest, Constitutionem Synodalem loquentem de Quarta Funerali non afficere Regulares, cum obseruantia sit optima interpres Constitutionum, tùm Apostolicarum, tùm Synodalium, ad *Text. in cap. Cum dilectus* 8. *de consuet.*, *Rot. cor. Caprar. dec.*421. *n.*6., *& dec.* 704. *sub n.*3., *& seq.*, *& cor. Molin. dec.*748. *n.*36.; Haud attento decreto irritante, quod adiectum fuit in antedicto Breui *Vrbani VIII.*; Cum illud solùm impediat ne induci possit contraria præscriptio, at non etiam impedimento sit ne dispositio eiusdem Breuis interpretationem recipere debeat ab obseruantia, vt appositè respondit *Rot. in Vormatien. Beneficij* 5. *Decembris* 1735. §. 7. *coram Eminentissimo D. meo Cardinali Crescentio*.

12 Astipulatur etiam in eadem linea interpretatiua Lis acta anno 16 2. in Sacra Congregatione Concilij inter Fratres Minores de Obseruantia Poloniæ, & Parochos, nec non Decretum inibi editum *die* 14. *Nouembris eiusdem anni*, quo declaratum fuit, onus probandi consuetudinem soluendi Quartam per 40. annos ante Concilium Tridentinum pertinere ad Parochos. Hoc quippe Decretum per extensum relatum à *Matthæucc. Official. Cur. Ecclesiast. cap.* 42 *num.* 9., necessariò præsupponit, per Concilium Prouinciale, & Breue *san. mem. Vrbani VIII.* non fuisse derogatum Priuilegijs Regularium, alioquin inepta fuisset illa disputatio, nec Parochi recursum habuissent ad dispositionem Sac. Concilij Tridentini.

Et ita vtraque &c.

ROMÆ, MDCCXLIX.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.
Superiorum Permissu.